Fragmentarium

esse a caritate non poterant hi cum quibus veritas gra-
diebatur. eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur
autem dicimus vocant. cum illic scriptum sit et coegerunt
eum ad. Ex quo nimirum exemplo colligitur. quia peregri-
ni ad hospitium non solum invitandi sunt. sed etiam trahendi;
Mensam ponunt. cibos offerunt. et deum quem in scripture
sacre expositione non cognoverant. in panis fractione
cognoscunt; Audiendo ergo precepta dei illuminati non sunt.
faciendo illuminati sunt. quia scriptum est. non auditores
legis iusti sunt apud deum. sed factores legis iustifica-
buntur. Quisquis ergo vult audita intellegere. festinet ea
que iam intellegere potuit opere implere. Ecce dominus
non est cognitus dum loqueretur. et dignatus est cognosci
dum pascitur. Hospitalitatem ergo fratres karissimi diligite. caritatis
opera amate. Hinc enim per paulum dicitur. Caritas fraterni-
tatis maneat in vobis. et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc
enim placuerunt quidam angelis hospicio receptis. Hinc
petrus ait. Hospitales invicem sine murmurationibus;
Hinc ipsa veritas dicit. Hospes fui. et suscepistis me. Opina-
ta res est valde. et seniorum nobis relatione tradita;
Quidam paterfamilias cum tota domo sua magno hospita-
litatis studio serviebat. cumque cotidie ad mensam
suam peregrinos susciperet. quodam die peregrinus
quidam inter alios venit. ad mensam ductus est. Dumque
paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam
vellet in eius manibus fundere. conversus urceum
accepit. sed repente eum in cuius manibus aquam fun-
dere voluerat non invenit. Cumque hoc factum secum ipse
miraretur. eadem nocte ei dominus per visionem dixit. Cete-
ris diebus me in membris meis

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2318, 12r – Gregorius I, Homiliae in evangelia
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-kngy/3441/36041)